

Felix Romanus an. I mens. III d. II, sepultus via Aurelia.

Iste constituit, ut qui accusatus fuerit ad synodum sine timore ire debeat, et si ire non potuerit legatum mittat nec quisquam accusatum iudicare vel excommunicare audeat nisi vocatus per tres aut sex menses ire voluerit et accusatores et indices absque omni suspitione inimicitiae sint et accusare et iudicare idem non possit. Indict. VII.

Damasus Hispanus an. XVIII mens. II d. I, sepultus via Ardeatina.

Iste constituit, ut psalmi David C. ante sacrificium canerentur. Secunda synodus Constantinopolitana fit. Indict. XIII.

Syricius Romanus an. XV mens. XI dies XXV, sepultus via Salaria. Indict. I.

Arsenius Romanus an. II d. XXVII, sepultus ad Ursam Pileatum.

Iste constituit, ut quoties evangelia leguntur sacerdotes non sedent, sed intenti stent et transmarinum hominem in clericatum non suscipi, nisi episcopalem habeat divrographum. Indict. II.

Innocentius Albanus an. XV mens. II dies XX, sepultus ad Ursam Pileatum.

Iste damnavit Pelagium et Coelestinum et constituit, ut qui natus esset de Christiana, per baptismum renasceret, et presbyteros filios procreantes omnino abici, et qui sibi quodlibet membrum vel partem digiti absciderit, clericum nullo modo fieri et qui secundam uxorem duxit. Indict. IV.

Zosimus Graecus an. I mens. VIII d. XXV, sepultus via Tyburtina.

Iste constituit cereum sabbato sancto in ecclesia benedici et ut diaconi laevam degerent linostimo pallio. Indict. V.